

sepulturae suae locum in ecclesia sancti Emmerami disponens corporis et animae suae eidem sancto committit¹. Inter haec mirandum et pro exemplo mortalibus cunctis predicandum, quod, cum plerique homines sobole propria carentes in heredes alienos predia divitiasque suas potius quam in Deum transmittant, hic vero imperator eximius nec filium suum, nomine Ludowicum, quem regni successorem reliquit, in ornamentis rebusque predictis divinae^a hereditati pretulit. Talis erat finis Arnolfi imperatoris.

5. Haec vero quae de sancti Dyonisii translatione ab eo facta diximus, partim a nostratum, partim quoque inclusi, de quo superius mentionem fecimus², relatione fideli comperimus. Sed quia huius viri, videlicet inclusi, memoria iam denuo a nobis facta est, restat, ut iuxta promissum ea, quae ex ore eius audivimus, plenius disseramus, presertim cum et hoc imprimis polliciti scimus, prius audita deinde visa de patroni nostri translatione enarrare. Ergo huiusmodi verba idem inclusus profert: 'Cum', inquit, 'domina mea, nomine Mahthilt, sicut mortalibus multis est notum, ante decennium Gallorum regi ex Francia data esset in matrimonium³, veni sepius ad illam. Et quoniam utrique, dominae scilicet et regi, satis acceptus fui, sicut ab illis, ita et ex aliis familiaribus suis amabar, in quibuscumque regni sui locis versabar. Interea quoque accidit, ut ad sancti Dyonisii cenobium urbi Parisio proximum frequenter venirem. Eiusdem vero cenobii abbas, cum de me rege prius sibi referente audiret, tam ob regis et reginae quam propter hospitalitatis amorem memet benigne suscepit et cum omni caritate atque familiaritate nunc duabus, interdum vero tribus ebdomadibus secum retinuit. Unde factum est, ut sepe solus mecum residens de diversis familiariter interrogaret rebus. Quibus etiam huiusmodi interrogationem aliquando addidit dicens: "Quia igitur, o amice, de te audiavi plurima loca tibi esse nota, numquid, rogo, Germaniam et Bavariam seu urbem quondam nomine Ratisponam agnoscis?" Cui cum responderem: "Etiam, domine", interrogando adiecit dicens: "Nostine et illud sancti Emmerammi

a) divini c.

E quibus unus est cubitalis, opere, precio, pondere siquidem talis, ut ei non facile inveniri possit aequalis'. Die Stelle hat der Verfasser unserer Translatio offenbar gekannt. — Ueber das Evangeliar Arnulfs s. Riezler, *Gesch. Baierns* I, S. 631. 1) Cf. Arnoldus l. c., Hirsch, *Jahrb. Heinrichs II*, I, S. 417. 2) C. 3. 3) Der Verfasser meint wohl Mathilde, die Tochter Kaiser Konrads II, welche mit König Heinrich I. von Frankreich verlobt war, diesen aber niemals heirathete, da sie vorher (1034) verstarb.